



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

52 Licentia assumendi ordines morte concedentis non expirat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

cas, cum in cunctis, s. fi. de elect. Suspensionem tamen aut irregularitatem non incurrit, cum illa propter suspensionem beneficii curati aetatem non incurritur; quamvis sic propter sacros ante legitimam aetatem susceptos. Exet. cum ex sacrorum.

DECISIO XLVII.

Ex consilio 45. alias 10.

Ante legitimam aetatem ad aliquem sacrum ordinem promotus ipso iure suspensus est, ut colligitur ex Extrava. Cum ex Sacrorum, & ex Nau. in Man. c. 27. nu. 155 & proinde de inhabilis ad beneficium obtinendum, Arg. c. si celebrat. de elec. ex com. minist. & si durante suspensione beneficium accipiat, collatio est nulla, nec fructus facti suos; beneficium vero antea legitime adeptum, per censuram vel irregularitatem superuenientem non perditur, ut ait c. cum nostris, de concess. praeb. fructibus tamen eius uti non potest, durante censura, nisi solum ad honestam sui sustentationem glo. in c. cum vintoniensis, de elec. & Pan. ibi.

DECISIO XLVIII.

Ex cons. 47. deest in Novis.

Collatio dignitatum, personatum, & aliorum beneficiorum ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum secundum Concilium Tridentinum sess. 22. ca. 4. de refor. facienda habentibus iustam aetatem, & alias habilitates ad id requisitas, non requirit, ut valida sit, ut collatarus acta habeat ordines, & alias qualitates, sed sufficit, ut iustam aetatem habeat ad ordines illos suscipiendos, quos Concilium requirit, & habilis sit ad eos habendum, prout praxis Curiae obseruat.

DECISIO XLIX.

Collatio beneficii requirentis ex constitutione ordinem facta non habenti illum inu valida est, & omnes fructus, & distributiones quotidianas ab ipso perceptas restituere tenetur, cum beneficium illud sine vilo titulo canonico teneat, c. 1. de reg. iur. in 6. facta autem carenti ordine requisito in potenna solum, modo iustam aetatem habeat, & alias ad id habilis sit, valida est, vocem tamen in Capitulo non habet, & dimidiam distributionum quotidianarum etiam diebus, quibus interit Diuini officij, & horas Canonicas recitat, amittit. Clement. vt ij. quib. 2. de tra. & qualite.

DECISIO L.

Ex cons. 47. alias 46.

Ordinatus suum ordinatorem accipiens dicendo se habere titulum patrimonij sufficientem, ita ut ordinator probabiliter credidit, & credere debuit, illum non solum habere patrimonium, sed etiam sufficientem ad honestam sustentationem, suspensionem incurrit, cap. Neminem, c. Sanctorum, dist. 70. & Concil. Trid. sess. 2. ca. 2. de ref. & celebrando irregularis efficitur, ordinator vero eum alere non tenetur, cum ob solam culpam ordinandi, non sit puniendus ordinans. E contra, si ordinatus non decepit ordinatorem, sed ordinans probabiliter scire potuit eum vel titulum patrimonij non habere, vel si titulum habeat, non tamen sufficientem ad honestam sustentationem, ordinatus nec suspensus est, nec ordine accepto utens irregularitatem incurrit, cum ob solam ordinantis culpam, ordinatus puniri non debeat, & ordinator ad eum alendum est obligatus, c. cum secundum, de praeb. & Concil. Trid. vt supra. Quando ergo solus ordinatus est in culpa, ipse suspensus est, sed ordinator eum alere non tenetur, si vero solus ordinans in culpa sit, ipse ordinatum alere tenetur, ordinatus autem immunis est a Suspensione; quando autem uterque tam ordinans quam ordipatus sunt in culpa, uterque puniendus erit, ita ut ordinatus maneat suspensus secundum antiquiores canones, d. c. Neminem, & c. Sanctorum donec cum eo dispensetur, ordinans autem secundum canones recentiores, d. c. cum secundum eum alere tenetur; quos omnes canones, Concilium Trident. sess. 2. ca. 2. de ref. pro ratione culpa ordinantis, vel ordinati iuxta limitationem praedictam innoat: cum peccata

suos auctores tenere debeant, nec poena ulterius protrahenda est, quam delictum fuerit in excedente repertum. cap. Quasiuit, de his quae fiunt a maior. parte.

DECISIO LI.

Ex cons. 48. alias 6.

Vos ordines Minores in die veneris vnus hebdomadae, & die Sabba. hi quatuor temporum alterius immediate sequentis ordinem Subdiaconatus cum legitimis literis dimissorijs sui ordinarij, derogantibus necessitati seruandi interstitia temporum in accipiendis ordinibus minoribus, & maioribus, ab alieno Episcopo suscipiens, neque suspensionem, neque dictis ordinibus utendo irregularitatem incurrit, cum in interstitijs seruandis ordinarius dispensare possit, ut patet per Concil. Tri. sess. 23. ca. 11 de ref.

Videtur auctor sibi contrarius in hoc consilio, cum in conc. 27. auctoritatem hanc dispensandi in interstitijs, Episcopo denegare visus sit.

DECISIO LII.

Ex cons. 46. alias 5. de rescrip.

Obtinens ab Episcopo suo ordinatio literas dimissorias vt offit a quocunque Catholico antistite, ad quoscunque etiam Sacros, & Presbyterij ordines promoveri, si antequam ordinetur, moriatur Episcopus, virtute illarum dimissoriarum ordinari potest, cum licentia assumentis ordines ab Episcopo concessa, non moritur, nec desinit valere mortuo, vel semoto, siue translato Episcopo eam concedente. Card. in Clem. fin. de elect. q. 5.

DECISIO LIII.

Ex cons. 50. alias 2.

Ante legitimam aetatem sacris bona fide ordinatus, parentum testimonio credendo eam habere, suspensionem non incurrit, neque celebrando irregularis efficitur, cum lex puniens ordines sacros suscipere praesumentem ante legitimam aetatem, Extrava. Cum ex Sacrorum. bona fide eos sumentem non includat.

DECISIO LIV.

Ex cons. 51. alias 26.

Ordinem sacrum ab alieno Episcopo sine legitimis literis dimissorijs suscipiens, suspensus est, Extrava. Cum ex Sacrorum, & iisdem ordinibus sacris durante suspensione utens sit irregularis, d. Extr. & c. 1. de re iud. in 6. & c. 1. de senten. exc. in 6. nec ab Episcopo virtute Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de refor. dispensari potest, cum irregularitas ex male ordinationis usu incurta ex delicto occulto nata dici nequeat; praesertim cum ordinationes in formam publicam redigi solent; vnde taliter ordinatus publica dispensatione per Datarium impetranda indiget, vt ei quoad vtrumque forum proficit.

DECISIO LV.

Ex cons. 1. in Novis deest in antiquis.

Ordinatus sacris ante aetatem legitimam Gallus in Gallia, si Bulla Pij II. Cum ex sacrorum, quae est 6. in ordine in Bullario, ibi promulgata in Metropolitana non fuerit, nec recepta, neque suspensus est, nec ministrando irregularis efficitur, neque vlla dispensatione indiget, sed solum vt de peccato poeniteat.

DECISIO LVI.

Ex cons. 4. in Novis deest in antiquis.

Qui alias canonicè ordinatus est, non seruatis tamen temporum interstitijs, quae Concilium Tridentinum sess. 23. de ref. c. 11. requirit, quamuis ab Episcopo suspensio, & alijs poenis ob canonis transgressionem puniri possit, ipso tamen iure nec suspensus, nec irregularis est, cum neque a Concilio Trident. neque a iure, aliqua talis poena ei imposita sit, qui non seruatis temporum interstitijs ordinatur.